

et bene. Qui sensus colligi potest ex his quæ Glossa allegat, scilicet, regulam *Decet*, et cap. *Ex tua*, de Fil. Presbyt., ubi textus solum dicit: *Nolumus irritari*, et Glossa dicit non esse irritandam, et magis loquuntur de ipso Papa.

16. *Alia explicatio.*—*Dispensatio data pro tempore definito quando potest revocari.*—Vel certe dici potest dispensationem datam ab inferiori in lege superioris cum tractu successivo, et sine temporis determinatione, posse revocari sine causa, quia tunc maxime procedit discursus factus: nam ipsamet indeterminatio temporis suam trahit dependentiam a voluntate concedentis. At vero quando data est pro tempore definito, probabile est non posse valide revocari sine causa ante illud tempus; in quo casu loquuntur dicti auctores et favet cap. unic. de Commodato, ubi dicitur rem ad certum usum vel tempus commodatam non posse antea repeti, et pro ratione redditur: *Cum non deceat beneficio nos decipi, sed jvari*; quanquam hæc verba magis prohebent indecentiam quam impotentiam. Ratio tamen pro altera parte facta in hoc casu magis urget, quia dispensatio data pro definito tempore simul valuit pro toto illo, durante causa, et ita pro toto illo abstulit legem superioris, quam inferior postea restituere non potest, nec quod semel factum est infectum reddere. Sicut etiam non potest retractare dispensationem quæ in momento habuit effectum, ut dispensando in impedimento ad petendum debitum, vel quid simile, quia non potest iterum impedimentum tale reparare.

17. *Privilegium concessum ab inferiori potest a superiori revocari.*—*Requiritur justa causa.*—Ultimo, circa eandem partem de revocatione privilegii a concedente, potest e contrario interrogari an privilegium concessum ab inferiori possit a superiori revocari. In quo certum est ex juxta causa posse et valide et licite, quia superior revocare potest legem inferioris, quia habet altiore jurisdictionem, cui inferior subordinatur; ergo maxime id potest ex justa causa. Secundo, est certum id non recte fieri a superiore sine causa justa, quia est contra debitum ordinem, et non sine injuria inferioris Prælati, nec sine detrimento subditorum, per se loquendo ac regulariter. Dubitari ergo tantum potest an talis revocatio, sine justa causa facta, valida sit. In quo breviter dico, si revocatio fiat a Papa, esse validam, quia ab illo pendet omnis jurisdictio inferiorum. Si autem fiat ab

inferiori Prælato, videtur probabile esse invalidam, quia talis superior non potest privare inferiorem sua ordinaria jurisdictione, sine causa justa et pro sua voluntate. Unde si id facere tentet, non habebit effectum, quia excedit suam potestatem; ergo idem est in proposito, quia privilegium conceditur ab inferiori Prælato ex ordinaria potestate. Et ita in simili censui, quando injustitia est manifesta, in 4 tom., disput. 26, sect. 3, n. 4, et sequitur Sanci., dicta disput. 33, n. 7. Intelligendum autem est, nisi ubi ex peculiari instituto fuerit major dependentia inferioris a superiori Prælato, juxta dicta supra de Legib., lib. 6, cap. 15.

CAPUT XXXVIII.

QUIBUS MODIS SOLEAT PRIVILEGIUM REVOCARI.

1. *De modis revocandi privilegium.*—*Revocatio duplex: tacita, expressa.*—*Expressa duplex.*—*Clausula generalis regulariter sufficit derogare privilegia specialia.*—Hæc quæstio valde est ad praxim necessaria, et ad intelligenda rescripta vel leges aut statuta per quæ solent privilegia revocari. Igitur sicut de renuntiatione diximus, ita hic potest dividi revocatio in expressam et tacitam. Prior etiam dupliciter fieri potest. Primo, non solum expressis verbis, sed etiam in specie et in particulari, et tunc nulla superest difficultas, supposita potestate revocandi privilegium, quia de voluntate satis per illa verba constat, ideoque de illo genere revocationis nihil amplius dicendum occurrit. Aliter fieri solet expressa et directa revocatio, non tamen in specie, sed per clausulam generalem, scilicet, *non obstantibus quibuscumque privilegiis*, etc.; et illa etiam regulariter sufficit, quia genus de se comprehendit species. Dico autem *regulariter*, primo, propter privilegia in jure contenta, quæ aliquid specialius requirunt: nam, eo ipso quod in corpore juris inferuntur, non tantum privilegia, sed etiam leges publicæ censentur, et ideo non derogantur per generalem clausulam revocatoriam privilegiorum in posteriori privilegio positam, nisi addatur etiam clausula derogatoria legum, seu canonum, ut recte notat Glossa in Authentica *Quia*, cod. Ubi de criminibus, etc., verbo *Illic omni privilegio*. Quæ ibi communiter probatur, et sensit etiam Glossa in lege *Hæres absens*, ff. de Judic., verb. *Excusatur*; et Glossa 1, in l. 3, cod. de Silentariis, l. 10. Et

potest sumi ex illis verbis illius legis: *Non præjudicatur a quacumque generalitate pragmatica*. Et de hoc puncto videri potest Jason in l. 1, cod. Solutio matrim.

2. Secundo, dixi *regulariter* propter privilegia quæ in suo tenore continent ut revocari non possint, nisi fiat expressa eorum mentio de verbo ad verbum, vel aliquid simile. De quibus quomodo revocari valeant seu per quæ verba, late tractant canonistæ, viderique potest Felinus in cap. *Nonnulli*, de Rescript., n. 6 et sequentibus, et Panormitanus in cap. *Cum instantia*, de Censibus, n. 5. Summa tamen omnium est oportere ut addantur alia verba reflexiva (ut ita dicam), ut revocari possint. Ut, verbi gratia, si dicatur: *Non obstante tali vel tali clausula, revocata intelligantur*; vel signatim dicatur: *Non obstante privilegio sub quacumque verborum forma concessa*, ut in Clem. 1, de Sepult., in fine; vel alio simili modo, ut in Clem. 2 ejusdem tituli, et similibus, quæ sunt in usu frequentissima. Et ratio clara est, quia non est cogendus Pontifex ut de verbo ad verbum talia privilegia referat quæ fortasse scire non potest, neque est privandus potestate revocandi illa quando oportuerit; ergo satis est ut per alia verba generalia quæ priora comprehendant, sufficienter explicet mentem.

3. Tertio, dixi *regulariter* propter privilegia concessa per modum contractus, quæ non revocantur per clausulam generalem, etiam expressam, nisi saltem in genere revocentur privilegia, *etiamsi per modum contractus fuerint concessa*. Quia cum talia privilegia jure ordinario sint irrevocabilia, et necessaria sit gravissima causa ut juste revocentur, non præsumuntur revocari, nisi prædicto saltem modo sufficienter exprimat. Item quia talis revocatio est in præjudicium tertii in jure acquisito et justitiæ; tale autem præjudicium non præsumitur, nisi exprimat, ut supra ostensum est. Et ita potest sumi ex Glossa in Clement. *Dudum*, de Sepult., verb. *Pacla*, circa finem; et vide ibi Cardin., et notavit Azen. in tit. 3, l. 14, l. 4 Recopilat., n. 42; et Sanc., dicta disput. 33, n. 8.

4. *Tacita revocatio quæ.*—*Duo certa: primum.*—*Secundum.*—Venio ad tacitam revocationem, quæ in universum dici potest omnis illa quæ non fit per clausulam expresse et directe vel (ut sic dicam) in actu signato derogantem privilegio, sed fit in actu exercito, et implicite, seu per quamdam consecutionem. Quod maxime censetur contingere

quando princeps facit aliquem actum qui non potest subsistere, vel habere effectum intentum, vel saltem non adæquatum, sine derogatione privilegii prius concessi; tunc enim cum illæ duæ voluntates principis sint contrariæ, necesse est, ut una impediatur aliam, quia eorum effectus, ut supponitur, non possunt esse simul: ergo posterior voluntas vincet priorem, et consequenter tollet effectum ejus, quia semper posterior voluntas efficacior est, quia cadit supra præcedentem. De hoc ergo genere tacitæ revocationis duo sunt certa. Unum est, tunc posteriorem actum habere vim tollendi prius privilegium, quando habet omnes conditiones necessarias ad virtuales voluntatem unius objecti in alio, vel effectus in sua causa. Aliud est, sine conditionibus hujusmodi non subsistere tacitam revocationem privilegii. Ratio prioris partis est, quia hic effectus revocandi privilegium pendet ex voluntate principis, quia jam supponimus potestatem; sed in moralibus virtualis voluntas æquivaleret formali, et ideo in jure tacitum æquiparatur expresse, ut supra visum est: ergo etiam in presenti æquiparantur, et illa voluntas habebit eundem effectum. Unde a contrario concluditur altera pars: nam deficientibus illis conditionibus, deficit voluntas non tantum formalis, sed etiam virtualis; sine voluntate autem non potest esse revocatio, ut constat.

5. *Conditiones necessarie ut privilegium tacite revocetur.*—*Voluntas formalis contraria ignorato privilegio non tollit illud.*—His autem addendum est conditiones requisitas et sufficientes ex parte principis ad hanc virtuales voluntatem, et consequenter ad revocationem tacitam, esse scientiam privilegii et voluntatem faciendi actum illi repugnantem, non obstante privilegio. Nam si hæc duo concurrant tam ex parte intellectus quam ex parte voluntatis, concurrunt omnia necessaria ad virtuales voluntatem. At vero si interveniat ignorantia privilegii, voluntas formalis alterius actus de se repugnantis privilegio non erit virtualis voluntas revocandi privilegium, quia ignorantia causat non voluntarium, eo quod nihil sit volitum quin præcognitum. Quod eleganter indicavit jurisconsultus in lege *Idem Ulpianus*, § *Sunt et alii*, ff. de Excusat. tutor. Dicit enim facultatem alicui tutori datam ad mutandum domicilium tunc esse virtuales licentiam dimittendi munus et sollicitudinem illam, cum data est *ex rescripto imperatoris scientis tutorem esse cum,*

judicans aperte sine tali scientia non posse esse illam tacitam facultatem, ubi id notant Glossa, Bartolus, et doctores. Idem sumitur satis aperte ex cap. 1 de Constitution., ubi Papa dicit se non revocare tacite per suam legem generalem ea quæ ignorare præsumitur, quia nimirum cum illa ignorantia non stat virtualis voluntas. Ubi etiam id communiter notatur, et in cap. *Nonnulli*, de Rescriptis, ex quo textu et ex aliis referendis idem colligitur, et est res clara et ab omnibus recepta. Solum est observandum, quando constat principem non ignorasse privilegium, tunc attente inspiciendum esse quanta sit repugnantia inter actum principis et privilegium, quia solum in eo derogabit privilegio, et non amplius. Itaque si absolute est incompatibilis nova dispositio principis cum toto privilegio, totum auferet et revocabit; si vero solum ex parte deroget, tantum suspendet illud pro aliquo tempore, vel derogabit in uno effectu vel actu, juxta mensuram repugnantiae. Ut si rex jubeat semel exigi tributum a privilegiato, non statim censetur absolute revocare privilegium totum, sed tantum pro illa vice, sicut supra in simili de tacita renuntiatione dicebamus. Quia revocatio est odiosa, et ideo non est extendenda ultra præcisam necessitatem. Item quia si repugnantia non est major, nec virtualis voluntas in rigore est major, nisi aliunde de illa constet.

6. *Dubium circa tacitam revocationem.* — Difficultas vero est circa hanc revocationem tacitam, quando censeatur princeps posteriorem actum seu dispositionem facere cum ignorantia vel scientia privilegii, quando id non constaret ex secundo rescripto vel lege: nam si id constet per verba vel clausulam aliquam id sufficienter explicantem, tollitur obscuritas, imo tunc potius censebitur expressa quam tacita revocatio, ut si addatur clausula *non obstante*, etc., vel similes de quibus in superioribus dictum est. Propria ergo difficultas est quando in posteriori rescripto nulla fit mentio privilegii, nec in specie, nec in genere, sed solum fit simpliciter nova dispositio repugnans privilegio. De qua re multa dicunt juris canonici interpretes in c. *Veniens*, de Præscript., et in c. 1 et c. *Nonnulli*, de Rescriptis, Gloss. et alii, 25, q. 2, in princip., Sylvester et alii summistæ verbo *Privilegium*; nos autem nonnullis regulis breviter rem totam in sequenti capite comprehendemus.

CAPUT XXXIX.

QUANDO CENSETUR PRINCEPS TACITE REVOCARE PRIVILEGIUM CONTRA ILLUD OPERANDO.

1. *Quatuor modis derogatur privilegium.* — Suppono tribus vel quatuor modis posse principem derogare tacite priori privilegio. Primo, per legem universalem, quæ universaliter, ut sonat, intellecta derogabit privilegium. Secundo, per hominis mandatum, vel rescriptum privilegio contrarium. Tertio, per sententiam datam contra privilegium. Quarto, per novum privilegium.

2. *Prima regula.* — Prima ergo regula est: per legem universalem non derogantur privilegia expresse, non derogantur tacite privilegia in corpore juris non contenta. Ita docent auctores allegati. Et ratio est, quia legislator non præsumitur scire jus privatum, nec particularia facta juxta cap. 1 de Const., in 6, ex quo textu plane colligitur dicta regula, quia certum est privilegium continere particulare jus, vel potius ad factum quam ad jus pertinere. Et ideo additum est in regula sermonem esse de privilegiis in corpore juris non contentis; nam illa quæ in jure continentur jam pertinent ad universales leges, et consequenter non præsumuntur ignorari a legislatore, ideoque sequuntur aliam regulam generalium legum, quod lex posterior revocat priorem, etiamsi id non exprimat, juxta superius dicta l. 6, cap. 19.

3. *Secunda regula.* — Secunda regula est: per particulare mandatum hominis seu rescriptum principis non derogatur tacite privilegium, si expressa clausula derogationis in eo non addatur. Est etiam communiter recepta ex cap. *Cum ordinem*, 6 de Rescript., cum Glossa ultim., in cap. 1, eodem; et habet idem fundamentum quod præcedens, quia etiam in præcepto ab homine, vel rescripto particulari ad lites, vel aliquid simile, non præsumitur princeps habere notitiam privilegii. Imo multo majori ratione in tali casu hoc non præsumitur, quia (ut dixit Glossa in cap. 1 de Constitut., in 6, verb. *Noscatur*, quam alii sequuntur) majori cum deliberatione et maturitate fit publicæ legis editio quam privati rescripti concessio: ergo si in lege constituenda non præsumitur in principe scientia privilegiorum particularium, multo minus præsumetur in rescriptis vel particularibus mandatis. Et confirmari hoc potest, quia

rescriptum contra communem legem non derogat illi, imo non valet, nisi illius mentionem faciat, juxta l. *Rescripta*, c. de Precib. imper. offer., et habetur in cap. *Rescripta*, 25, quæst. 1. Ergo a fortiori particulare rescriptum non valet contra privilegium, cujus mentionem non facit, ac subinde non potest illud tacite revocare. Et ex sequenti regula hæc amplius confirmabitur: nam a fortiori ex illa sequitur, ut sensit Gloss. in d. cap. *Veniens*, de Præscr., verb. *Nullam*.

4. *Tertia regula.* — *Differentia inter revocare et reprobare.* — Tertia regula sit: per sententiam revocatur privilegium, sed interdum reprobatur. Hanc pono propter cap. *Suborta*, de Re judic., ex quo aliqui colligunt sententiam contra privilegium latam esse sufficientem ad revocandum illud, præsertim si illa sententia a Papa seu principe feratur qui potuit privilegium concedere, quia illa sententia æquiparatur juri contrario ipsi privilegio, et ideo potest revocare illud. Sed in hoc imprimis considero in illo capite non dici, *si Innocentii privilegium fuit Alexandro in judicio presentatum, et contra illud sententiam tulit, per hoc ipsum intelligitur revocatum* (ut aliqui allegant), sed dicit: *intelligitur reprobasse*. Longe autem aliud est reprobare quam revocare; nam reprobatio est declaratio nullitatis privilegii, vel quia male obtentum fuit, vel quia jam dissuetudine erat amissum; revocatio autem est ablatio privilegii prius validi ac possessi. Atque hinc sumo rationem assertionis; nam vel privilegium tollitur per sententiam iudicis directe, propter aliquam culpam, vel similem causam, et sic revocari quidem potest privilegium, seu auferri per sententiam, tamen illa non est tacita, sed expressa et directa revocatio quæ in poenam fit, vel ex aliqua causa pertinente ad commune bonum, et ideo tunc necesse est ut sententia feratur vel ab eo qui potest revocare privilegium, vel ex vi alicujus legis habentis auctoritatem ejus, quia aliter non potest privilegium principis per inferiorem judicem auferri. Vel privilegium tollitur indirecte per sententiam qua condemnatur reus, non obstante privilegio, et tunc non potest esse revocatio, sed reprobatio, quia per talem sententiam virtute declaratur tale privilegium non excusare reum, vel non prodesse illi, et ita supponit nullitatem vel defectum in privilegio, non autem facit: vel si judex condemnat solum quia privilegium non extenditur ad illum casum, sic etiam non limitat de

novo, sed declarat authentice valorem ejus limitatum esse. Ratio autem est, quia sententia condemnatoria supponit defectum in actu vel in jure de quo tractatur: ergo si tale jus vel factum pendet ex privilegio, etiam sententia cadit indirecte in qualitatem privilegii, ut antea erat, non vero illam immutat, et ita cadit in illud declarando et reprobando, non revocando vel derogando.

5. *Quarta regula.* — Quarta regula sit: privilegium prius nunquam tollitur omnino per subsequens privilegium per tacitam revocationem; diminui autem interdum potest, seu ex parte derogari. Ratio prioris partis est, quia privilegium posterius non prævalet contra primum, nisi mentionem illius faciat. Ita enim a fortiori sumitur ex dicto cap. *Veniens*, de Præscript., ut ibi notat Glossa verb. *Nullam*, et omnes, et sumitur etiam ex cap. *Abbatem*, de Rescript., et tradit Glossa ult., communiter recepta, in cap. 1 de Rescript. Ratio autem est, quia præsumitur princeps concessisse secundum privilegium ex ignorantia primi, quando illius mentionem non facit, juxta dictum cap. 1 de Constitut., in 6. Quia privilegium est jus privatum et particulare et ideo ignorari creditur quando illius mentio non fit. Ac proinde posterius privilegium censetur surreptitium, quia sine sufficiente narratione impetratur. Sicut etiam privilegium contra statutum patriæ vel contra similem consuetudinem non prævalet contra illa, quia censetur cum virtuali deceptione principis obtentum. Unde intelligitur obiter partem hanc non procedere, quando prius privilegium est insertum in corpore juris; tunc enim potest per posterius abrogari, vel etiam omnino revocari et tolli, si posterius illi opponatur, sive posterius ponatur in corpore juris, sive non. Ratio est, quia (ut supra dixi) privilegium insertum in corpore juris jam est commune jus, et ideo non præsumitur ignorari, juxta d. c. 1 de Const., in 6, ac subinde sicut jus commune derogatur per subsequens privilegium, ita et privilegium insertum in corpore juris, ut in superioribus etiam dictum est. E contrario vero nihil refert quod posterius privilegium inseratur in jure communi, si prius non est in illo, quia semper procedit regula, et ratio ejus.

6. *Quando duo privilegia sunt generalia, prius valet; proportionaliter inter specialia.* — *Quid de generali per speciale derogato.* — Ex hac ergo parte sic probata, aperte concluditur, quando utrumque privilegium est generale, prius valere, non posterius, quia

non posset posterius derogare priori, nisi in totum illud auferendo, quia non est major ratio de una parte quam de alia; eademque ratio procedit si utrumque sit speciale, vel etiam si primum sit speciale, et secundum generale, quia semper deberet speciale privilegium in totum auferri, quod fieri non potest. Et in his tribus comparationibus æque procedunt jura et rationes adductæ. Potest autem esse quarta comparatio, si prius privilegium generale sit, et posterius speciale, in qua est major difficultas. Nam ex una parte videtur idem esse dicendum in illo casu, quod, scilicet, posterius privilegium nihil valeat contra prius, neque illi deroget; tum quia etiam tunc præsumitur princeps ignorare prius privilegium, et consequenter posterius esse surreptitium, et non continere virtutem voluntatem principis derogandi priori; tum etiam quia per prius privilegium est jus acquisitum privilegiario, quod non censetur princeps auferre velle sine illius notitia. Atque hanc partem tenet Glossa in Summa, 25, quæst. 2, et in reg. *Generi*, de Reg. jur., in 6, et ex parte sequitur Panormitanus statim citandus.

7. *Privilegium speciale minuit generale.* — Nihilominus propter hanc comparationem posui alteram partem regulæ: nam speciale privilegium, licet non possit in totum auferre generale præcedens, nihilominus potest ex illa speciali parte minuere illud, et hoc modo probabilius censemus posse privilegio generali tacite derogari, per posterius speciale. Quæ sententia frequentius recepta est in dicto capit. 1, et in dicto cap. *Veniens*, et eam tenet Sylvest., referens Hostiensem, verbo *Privilegium*, quæst. 10. Et videtur expresse probari in cap. *Dudum*, § *Nos igitur*, et cap. *Quamvis tibi*, de Præbend., in 6, et in utroque allegatur communis regula, generi per speciem derogari, etiamsi in speciali nulla fiat mentio generalis, et declaratur in privilegiis etiam procedere: nam jura citata expresse loquuntur de privilegio speciali post generale concessio. Ratio vero esse potest quia princeps, concedendo generalem favorem, non censetur sibi auferre potestatem faciendi aliquam specialem gratiam, illa generali non obstante. Et ob hanc causam potuerunt Pontifices ita explicare mentem et concessionem suas; habet enim rationem satis congruam, quia illa non est contrarietas propria voluntatum, sed est quedam exceptio a generali gratia, quam exceptionem, seu potestatem ad illam faciendam voluit semper

Pontifex sibi reservare, sine dependentia ab expressione seu commemoratione prioris privilegii, ut satis aperte declaravit Bonifacius VIII in dicto capitulo *Dudum*.

8. *Ad primam in contrarium.* — Ad primam ergo rationem in contrarium, respondetur rationem ignorantiam non ita procedere in hoc casu; tum quia illa non est contrarietas voluntatum, et ideo nihil obstat prior voluntas quominus secunda sit valida; tum etiam quia illa ignorantia est tantum concomitans, quia non minus concederetur specialis gratia, etiamsi generalis venisset in memoriam, ut in dicto cap. *Dudum* dicitur; tum denique quia ipse princeps voluit ut illa scientia vel memoria non esset sibi necessaria, ut efficaciter posset specialem gratiam facere, non obstante priori generali. Ad secundam rationem, respondeo regulam dictam quoad hanc partem intelligi, sistendo in pura ratione privilegii, quod tantum concedit jus ad rem: nam si virtute prioris privilegii jam sit res acquisita et possessa tanquam propria, probabilissimum profecto est quod Panormitanus ait in dicto cap. *Veniens*, num. 11, quem alii sequuntur, tunc non procedere prædictam partem regulæ; quia non est verisimile voluisse principem præjudicium inferre tertiæ personæ in re jam sua, sine majori cognitione et examinatione causæ. Et ita explicata hæc sententia est valde rationi consentanea.

CAPUT XL.

QUANDO INCIPIAT REVOCATIO PRIVILEGII SUUM EFFECTUM SORTIRI.

1. *De effecti revocationis.* — *Distinctio notanda.* — *Privilegia per publicam legem revocata promulgationem sufficientem expectant.* — Suppositis quæ de legum irritatione et abrogatione, et de concessionem privilegiorum in superioribus dicta sunt, breviter potest præsens quæstio expediri. Distinguendum ergo est inter generalem revocationem privilegiorum factam per publicam legem, et privatam revocationem alicujus privilegii; nam de illis diversimode censendum est, sicut de concessionem privilegii diximus. Primo ergo dicendum est, si privilegia per publicam legem revocentur, illam revocationem non habere effectum donec lex illa sufficienter promulgata sit. In hoc omnes statim allegandi conveniunt, et est clarum, quia ante promulga-

tionem nondum est lex illa vere et sufficienter constituta in ratione legis, et ideo non habet alios effectus legis; ergo neque hunc habebit.

2. *Promulgatio in curia principis sufficiens.* — *Sententia Soti et Medina.* — Secundo, addendum est unam promulgationem in curia principis vel in loco ad hoc constituto sufficere ad hunc effectum revocationis privilegiorum, sicut sufficit ad alios effectus legis, quando aliud non exprimitur in ipsa lege. Ita etiam sentiunt frequentius auctores allegandi. Et ratio est, quia ex natura rei non sunt plures promulgationes necessariae ad hunc effectum quam ad alios, ut per se constat, nec etiam leges humanæ aliquid circa hoc speciale disponunt; ergo. Dicunt vero aliqui in legibus canonicis revocantibus privilegia, consuetudine introductum esse ut sit necessaria promulgatio in singulis diocesis, ut privilegia maneat cum effectu revocata. Quod tenet Soto, l. 1 de Justit., q. 1, art. 7; et Medin. l. 2, quæst. 90, art. 4, post quintam conclusionem. Sed non constat de tali consuetudine, imo potius videmus quotidie fieri leges pontificias revocantes privilegia, ut Pius V et Gregorius XIII revocarunt privilegia ingrediendi monasteria monialium, motibus propriis ad hoc specialiter editis, et Romæ tantum promulgatis, nec jusserunt aut procurarunt alias promulgationes in singulis diocesis fieri, et similia exempla sunt frequentia; ergo signum est non esse necessarias tales promulgationes. Item sæpe fiunt alie leges pontificie directe ad alios effectus cum clausula, *non obstantibus privilegiis*, quæ ad illorum derogationem sufficit; et unica promulgatio Romæ facta censetur sufficere ad totam obligationem ejus et ad illius clausulæ effectum; ergo eadem promulgatio sufficit ad privilegiorum revocationem. Illa ergo sententia merito a posterioribus theologis rejicitur, quia fundamentum non habet; sicut etiam de lege irritante diximus, quia est eadem vel major ratio.

3. *Lex revocans privilegia non statim habet suum effectum.* — *Fundamentum contra assertionem.* — *Solvuntur fundamenta contraria sententia.* — Tertio, dicendum est legem revocantem privilegia non statim habere hunc effectum a die promulgationis, sed post tempus necessarium ad illius obligationem, quod regulariter est duorum mensium, licet pro curia soleat esse brevius, et pro locis distantioribus debeat promulgari, prout neces-

sarium fuerit ad humanam notitiam, ut supra declaratum est. Et ita etiam sentiunt Bart. et alii referendi. Ratio vero est, tum quia nihil speciale de hoc disponunt jura, nec ex natura rei cum fundamento cogitari potest; tum etiam quia idem dictum est de lege irritante, qui effectus est valde similis revocationi privilegiorum; tum denique quia lex revocans privilegium simul obligat ad non utendum illo; igitur non prius revocat quam possit obligare, et consequenter idem tempus ad utrumque requirit. Probatur consequentia, quia, moraliter loquendo, non minus conveniens ac necessaria est publica notitia legis, ut revocatio privilegiorum convenienter et sine publicis incommodis fiat, quam ut obligatio imponatur. Contra hanc vero assertionem sentit Franc. in c. *Ex parte*, de Concession. præbend.; putat enim a die publicæ promulgationis manere privilegia revocata, quando lex directe fertur ad illorum abrogationem. Fundatur in l. ult., c. de Decur., lib. 10, ibi: *Omnibus anterioribus modis, quos non comprehendit præsens sanctio, ex præsentis die antiquandis.* Et aliqui hoc maxime affirmant de legibus pontificiis revocatoriis privilegiorum, putant enim a die factæ promulgationis Romæ ita revocari privilegia, ut actus eorum non valeant, etiamsi propter ignorantiam sine culpa fiant. Ratio reddi potest, quia plus requiritur ad obligationem quam ad revocationem privilegii; quia illa pendet ex conscientia, et consequenter ex notitia legis; revocatio autem fit ab extrinseco per voluntatem revocantis, et ideo ad illam non est tam necessaria temporis dilatio. Sed hæc parum urgent: nam in illa lege particula illa, *ex præsentis die*, secundum jus et debitum ordinem intelligenda est; alioqui etiam posset intelligi ex die conditæ legis in regio consilio. Unde ad rationem dicitur, verum quidem esse notitiam legis magis ab intrinseco esse necessariam ad obligationem legis quam ad effectum revocandi, quia revera fit per extrinsecam voluntatem; nihilominus tamen, ad convenientem ordinem et ad vitanda publica incommoda, moraliter necessarium esse ut revocatio non fiat nisi tali modo, quo possit commode ad privilegiatorum notitiam pervenire, et ideo, secundum jura et rectam rationem æque expectari tempus sufficiens ad divulgationem legis, ad revocationem privilegiorum sicut ad legis obligationem.

4. *Lex sortitur effectum post debitum tem-*